

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5385

Auteur(s) : official de l'archidiacre du Cotentin Guido de Harcourt [autre]

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1294, 7 mai

Lieu d'émission : Valognes

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul Pinel, de Hauteville-Bocage, vend au chapitre de Coutances pour quatre livres tournois une rente d'un quartier de froment, mesure de Hauteville-Bocage, assise sur une tenure de Hauteville-Bocage que Raoul tient des chanoines. S'il ne peut payer cette rente, il devra verser aux chanoines en contrepartie cent sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 150, p. 280-281.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie G[uidonis] archidiaconi de Costentino in ecclesia Constantiensi, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod in nostre [presentia] et in jure coram nobis Valoniis constitutus Radulphus Pynel de Alta Villa confessus est spontanee, non coactus, se vendidisse ad finem et in perpetuum dimisisse viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiense unum quarterium frumenti ad mensuram de Alta Villa annui redditus super omne tenementum situm in feodo dictorum virorum, pro quatuor libris tur. super quibus eidem Radulpho extitit plenarie satisfactum in pecunia numerata, prout ipse confessus est in judicio coram nobis ; tenendum, habendum et jure hereditario possidendum a dictis viris absque reclamazione ejusdem Radulphi et ejus heredum in dicto feodo decetero facienda et debent dicti viri dictum frumentum habere et percipere quolibet anno ad festum sancti Michaelis in Monte Gargano per manus dicti Radulphi et ejus heredum seu per manus tenentium predictum tenementum ; et promittet idem Radulphus dictis viris dictum frumentum liberare, garantizare, furnire et defendere super omnibus penitus erga omnes vel alibi in sua hereditate propria excambiare valore ad valorem nisi secundum consuetudinem retrahatur ; et juravit, tactis sacrosanctis evangeliis, quod premissa adimplebit, dictis viris furniet et defendet et quod dictum tenementum redditibus non honerabit quin dicti viri dictum frumentum quolibet anno super dictum tenementum recipere plenarie valeant annuatim et quod contra premissa vel aliqua premissorum per se vel per alium quoquo modo, quacumque ex causa, non veniet in futurum, volens et concedens a nobis excommunicari nulla alia monitione premissa inscalarie tanquam reus perjurii puniri ac eciam omnes audientiam sibi denegari tam in foro ecclesiastico quam eciam seculari et quod teneatur solvere dictis viris centum solidis tur. nomine pene commisse ab eodem apposite si contra premissa vel quolibet premissorum per se vel per alium veniret aut venire niteretur quoque modo in futurum, qua pena soluta dicta venditio in suo robore remanebit. Ad que obligat idem Radulphus se, heredes suos et omnia bona sua, mobilia et immobilia, presentia et futura in quibuscumque rebus existant, renunciando super hoc per suum juramentum

omni exceptioni doli mali, privilegio crucis et fori, omni juris auxilio canonici et civilis, venditionis non facte, precii non justis, non habitis, non receptis, petitioni libelli presentis copie instrumenti actioni in factum et in omnibus aliis exceptionibus, allegationibus et defensionibus, juris et facti, loci et temporis que contra presens instrumentum possent obici vel adduci. Et nos ipsum Radulphum volentem et concedentem ad premissa tenenda fideliter dictis viris sub prestito ab eodem juramento condempnamus. Ipsum Radulphum sub premissis omnibus adimplendis predictis viris monuimus viva voce, ut prefertur, alioquin ipsum excommunicabimus nulla alia monitione premissa si defecerit in premissis vel quolibet eorumdem, prout voluit et concessit in judicio coram nobis se super premissis juri curie nostre totaliter supponendo. Actum et datum anno Domini M° CC° nonagesimo quarto, die veneris ante festum sancti Nicholai estivale.